

nerali, vel speciali cujuscumque tenoris existat, per quam præsentibus non expressam, vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de qua, cujuscumque toto tenore habenda sit in nostris literis mentio specialis. Nos enim quod collationem, & assignationem prædictas si fiant, & dicta Jeronyma ad hoc reperta fuerit idonea ut præfertur, ex nunc perinde irritum decernimus, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contingeret attentari, ac si die datæ præsentium eidem Jeronymæ ad hoc repertæ idoneæ de dicto Priorisatu cum interpositione decreti mandavissetur provideri. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Domini MDXXXIII. IV. idibus januarii Pontificatus nostri anno X.

Breve Pauli III. Petro Vorstio Episcopo Aquensi pro visitatione Diœcesis.

400

MDXXXIII.

Paulus P. P. III. venerabilis frater salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum sicut nobis nuper exponi fecisti tu Ecclesiam Aquensem, cui præesse dignosceris personaliter visitare intendas, nos illa tibi favorabiliter concedere volentes, per quæ benemeritis, & tibi obsequentibus, ac aliis personis de beneficiis Ecclesiasticis providere, & erga illos te gratiosum reddere possis, tibi, qui locum unius ex causarum palatii Apostolici auditoribus de mandato nostro tenes, ac Prælatus domesticus noster existis ultra menses ordinariis collatoribus per constitutiones Apostolicas concessos de quibuscumque beneficiis Ecclesiasticis cum cura, & sine cura secularibus, & quorumvis ordinum regularibus ad collationem, provisionem, præsentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem tuam de jure, vel consuetudine ratione dictæ Ecclesiæ quomodolibet, & ex quocumque jure, vel titulo pertinentibus etiam si secularia canonicatus, & præbendæ, dignitates, personatus, administrationes, vel officia, regularia vero beneficia hujusmodi, Prioratus, Præposituræ, dignitates, personatus, administrationes, vel officia etiam curata, & electiva fuerint, quæ in augusti, & septembris proxime futuris mensibus extra Romanam curiam vacare contigerit, dummodo illa dispositione Apostolica alias generaliter reservata, seu affecta non fuerint quibusvis personis, de quibus tibi videbitur quæcumque, quotcumque, & qualiacumque beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura obtinentibus, & expectantibus providendi, & de illis disponendi, & ut ab Apostolica sede tibi concessum Pastoris officium salubriter valeas exerceri per te, vel vicarium tuum in spiritualibus generalem quascumque Parochiales, & alias Ecclesias curatas, & non curatas, ac monasteria hospitalia, zenodochia, prioratus, domos, & alia loca Ecclesiastica, secularia, & quorumvis ordinum tam virorum, quam mulierum regularia tuarum civitatum, & Diœcesis exempta, & non exempta illorum, & quascumque alias earundem civitatum, & diœcesis personas tam seculares, quam utriusque sexus regulares cujuscumque gradus, ordinis, vel

conditionis fuerint, etiam si illi nostri, & Apostolicæ sedis Notarii Acolythi Capellani, aut alias per ejusdem sedis literas etiam conservatorias eis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacissimis, & insolitis clausulis, & decretis etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac ex quibusvis causis concessis, & concedendis ab ordinaria jurisdictione exempti, & dictæ sedis immediate subiecti existant. 10 Dummodo monasteria Ecclesiæ, loca, & personæ prædictæ alium superiorem, seu visitatorem non habeant non exemptos, videlicet tua ordinaria, exemptos vero Apostolica auctoritate visitandi, inquirendi, nec non contra illos tua ordinaria jurisdictione utendi, nec non errantes, & delinquentes juxta eorum excessus, & canonicas sanctiones puniendi, & castigandi, omniaque alia, & singula, quæ ad omnipotentis Dei gloriam, & animarum salutem, ac alias circa præmissa necessaria fuerint, seu alias quomodolibet opportuna, etiam si specialem notam, aut specificationem requirerent faciendi, statuendi, exequendi, & disponendi, nec non quascumque personas civitatis, & diœcesis prædictarum etiam ut præfertur qualificatas ad reparationem Ecclesiarum monasteriorum, prioratum, hospitalium, & aliorum beneficiorum suorum per eos faciendam, & in honorem status Ecclesiastici, & Divini cultus decus, restorationem, & conservationem quibusvis juris, & facti remediis prout juris fuerit cogendi, 20 & compellendi, & si ad id renitentes fuerint ipsarum Ecclesiarum, monasteriorum, prioratum, hospitalium, ac beneficiorum fructus, redditus, & proventus ad præmissum effectum sequestrandi, illaque seu ipsorum prout justum tibi videbitur partem in reparationem hujusmodi convertendam, ac contraditores quoslibet, & rebelles cujuscumque dignitatis, status, gradus, vel conditionis fuerint per excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliasque Ecclesiasticas censuras, & pœnas appellatione postposita compescendos, & si opus fuerit auxilium 30 brachii secularis invocandum, nec non quoscumque utriusque sexus Christifideles dictarum civitatum, & diœcesis baptismati lavacro singulis diebus ablutos confirmandi, ac chrisma, & oleum sanctum in uno die festo consecrandi plenam, & liberam eadem auctoritate Apostolica tenore præsentium licentiam, & facultatem concedimus. Et insuper omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, & confessis, seu statutis a jure temporibus propositum confitendi habentibus, qui celebrationi primæ Missæ per te in dicta Ecclesia in Pontificalibus celebranti, vel benedictioni per te populo post celebrationem prædictam elargienti devote interfuerint plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem in forma Ecclesiæ consueta elargimur, non obstantibus quibusvis apostolicis, ac provincialibus, & sinodalibus conciliis ecc., quibus illorum omnium tenores præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permanfuris hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, illaque adversus præmissa nullatenus suffragari posse decernimus, ceterisque contrariis quibuscumque. 60